



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Flores Meditationvm**

**Bebius, Philippus**

**Coloniae Agripp., 1623**

Medit. 18. De iustitia Pharisæorum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59636](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59636)

MEDITATIONVM. 485

multis partibus excedunt pretium datae eleemosynæ; *mensura superfluens*, sunt bona gloriae, quæ per opera misericordiæ meremur, & sine comparatione, omnia temporalia excedunt, & hominem omni ex parte beatum reddunt.

6. *Quid vides festucam?* amor proprius hoc facit, ut vitia nostra, quæ sunt aliquando maiora, instar trabis, vix in nobis agnoscamus, cum minora, quæ sunt instar festucæ, in aliorum vita ac moribus reprehendamus. Mortificandus itaque est hic amor proprius, & vera Caritas, *qua non iudicat quemquam*, in omnibus actibus ostendenda.



MEDITATIO XVIII.

DE IUSTITIA

PHARISÆORVM.

PVNCTA MEDITATIONIS.

I. Nisi abundauerit iustitia vestra *Matt. 5.*  
*plusquam Scribarum & Pharis.* non  
intrabitis in regnum cælorum.

II. Dictum est antiquis; non occides. Ego  
autem dico, ne irascaris fratri tuo.  
Nam qui irascitur, reus erit iudicio;  
qui dicit *raca*, concilio; qui dixerit  
*fatue*, gehenna.

III. Si offers munus ad altare, pri-  
mum reconciliare fratri; tunc offer.

X 2

PRO-

## PROPHETIÆ.

*Prou. 18.* **N**E verearis vsq. ad mortem iustificari.  
*Mich. 6.* Misericordiam volo, & non sacrificiū.

## DOCUMENTA.

1. **I**USTITIA *Pharisaorum* quoad opera externa, magna erat, nam 1. orabant diutissime, etiam in angulis platearum. 2. dabant largas eleemosynas, ad rubæ sonitum egenos conuocando. 3. dabant decimas bonorū etiam de rebus leuissimis, vt cymino, mentha. 4. portabant legis præcepta, descripta in vestiū suarum fimbrijs, quæ phylacteria appellabant. 5. Deo gratias agebant, in speciem factam sicut fecit Phariseus cum Publicano; adeo vt Christianos multos pudere debeat ab eis superari.
- Luc. 18.* 2. At in quo deficiebant? in tribus præcipue, vt ex Christi reprehensionibus: hic & alibi apparet. 1. externa potissimū curabāt, internis neglectis. 2. intentionem dirigebant fere non ad placendum Deo, sed ad captandam vanam gloriolam, & aurā humanæ laudis aucupandam. 3. quia in se plerunq; fidebant, nō in Deo, euentus actionum suarum, sibi potius quam Deo tribuentes. In his omnibus, qui Deo placere vult, Phariseos detestetur, & viā contraria prorsus incēdat.
3. Euāgelicæ legis perfectio multo maior est, quā legis Mosaica (ex qua præcepta moralia, reiectis caremonialibus & iudicialibus, vim suam retinebant) in eo præcipue, quod tollat ac prohibeat non tantum opera mala externa, sed singulariter interna atq; prauas cordis affectiones, qui sunt velut malorū fontes, omni ope obturandi.
4. Itaque

4. Itaq; in lege noua nō tantum actus exter-  
nus sed etiā interna affectio (deliberata) pec-  
catum censetur. Vnde circa 5. præceptum dan-  
tur à Domino 3. gradus. 1. est interior motio ad  
laxionem proximi tendens. 2. signum leue ex-  
ternum 3. verbum probrosum, quod lætio tan-  
dem sequitur & omnes rei censentur. 1. con-  
cilio. 2. iudicio. 3. gehenna.

5. Hac peccata leuia cēsentur apud homines,  
sed non apud Deum, cuius iudicia distant, *ut Isai. 55.*  
*Cælum à terra.*

6. Deus volebat in Sacrificijs externis legis,  
reconciliationem præponi, multo magis hoc  
agendum in S. Communionem, qua est vnionis  
Sacramentum.



MEDITATIO XIX.

DE 7. PANIBVS.

PVNCTA MEDITATIONIS.

- I. Dixit IESVS miserior super turbam, *Marc. 8.*  
*quia triduo sustinent me; si dimisero*  
*ieiunos, deficient in via.*
- II. Benedicens 7. panes, & paucos pisces,  
*refecit in solitudine 4. millia hominū.*
- III. Illis satiatis, mandat tolli fragmenta,  
*ne pereant, & impleuerunt 7. sportas.*

FIGVRÆ.

ELIAS multiplicauit farinam viduæ, *vt 3. Reg. 17*  
*afficeret ipsi, ac familie, tēpore fam. s.*  
Elisē satiauit 100. homines 12. panibus. *4. Reg. 4*